29

PRÆSENS DISSERTATIO
HISTORIÆ MEDICÆ
De

SCROFULIS,

SACRO SANCTA TRINITATE
AUSPICANTE,

AUTORITATE ET CONSENSU
Ampliſsimi, Excellentiſsimi Celeberrimæ Rauracorum Univerſitatis Collegij Aſclepiadei,

Sub Moderamine
Viri Nobiliſsimi, Excellentiſsimi, Experientiſsimi,

D. JO. HENRICI GLASERI,
Phil. & Med. Doct. Botan. & Anatom. Prof.
In Lycéo Baſileenſi famigeratiſſimi Præceptoris æviternùm devenerandi,

Publicæ φιλιάτρων διασκέψει *ſiſtitur*
à

M. MATTHÆO HARDERO,
Scaphusâ-Helvetio. A. & R.

Die   Octobr. M DC LXXII.
Loco horiſque conſuetis.

BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHI.

Viro plurimùm Reverendo, Spectabili, Excellentiſſimo, Clariſſimo

DN. JOH. RODOLPHO WETSTENIO, S,S. Theol, Doct. Facultatis Theol. Seniori graviſſimo, ac in antiquiſſima Univerſitate Baſileenſi N.T. Profeſſori meritiſſimo, Patrono & Fautori ſuo nunquam ſatis colendo.

Nec non

Viris Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Prudentiſſimis, Conſultiſſimis,

DN. ALEXANDRO ZIEGLERO, Illuſt. Reipubl. Scaphuſ. Senatori graviſſimo, prudentiſſimo: Dicaſterii Matrimonialis adſeſſori digniſſimo, Mecœnati & Avunculo magno, ſummè venerando.

DN. DAVIDI PEYERO, apud Scaphuſianos frequentioris Senatûs ac Presbyterii in æde D. Joannis adſeſſori meritiſſimo, agnato, & ἐυεργέτῃ de ſe ſuisque ſtudiis optimè merito,

Theſes haſce medicas, ceu profectuum ſuorum qualeſcunque indices, in grati & officioſi animi ſymbolum, eâ quâ par eſt obſervantiâ dicat & conſecrat

M. MATTHÆUS HARDER, Autor.

ΙΣΤΟΡΙΑ.

PUer 8. annos natus, judicio & memoriâ pollens, minùs vividus, quàm pro ratione ætatis, capillis fuſcis, faciei reliquiq; corporis colore ſubfuſco, paulò macilentior, cùm autumno fructibus horariis ſe ſaginâſſet, potuq; aquæ frigidæ uſus fuiſſet, hieme ſequente difficiliùs & cum ſibilo ſpirare cœpit, cumq; antea varias cantilenas edoctus, ſuaviter caneret, vox tum paulò aſperior evaſit. Medicus cauſam mali explorans, tumorem reperit in utroque latere cartilaginis ſcutiformis duriuſculum, indolentem, utrobique parvæ nucis magnitudine, reliquæ cuti concolorem, non admodum profundum, & aliquantulum mobilem, qui paucorum dierum ſpatio, ſubitò accrevit. Pulſu utcunque debiliori eſt & minori, urinis tenuibus albis cum craſſiori ὑποστάσει.

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

IN ſpatioſum artis ſacræ campum exſpatiaturo, nîl, me judice, ſub obtutum cadit, admirandâ ſuâ fabricâ ſeſe non commendans; ità ut haut immeritò exclamari fas ſit. Nîl eſt à Deo, quin præſentem ſiſtat Deum! immenſa enim ſummi opificis potentia ex ejus eluceſcit operibus! Horum autem, cùm alia aliis perfectiora exiſtant, actionesque longè nobiliſſimas edant; earum cauſæ abſtruſæ & ab omni ſenſu remotæ in diverſos eruditum veteris ævi orbem opinionum labyrinthos induxerunt. Enimverò quotusquisque, in-

 defeſſus

deſeſſus quamvis myſteriorum Aſclepiadorum cultor, ferè infinitum ſyrtium ſcopulorumque numerum non offendit, priuſquam nova Neotericorum inventa, Anatomen, ceu novum jubar illuſtrârunt? Procul tamen abſit à me, ut propterea venerandæ antiquitati, laudem ſuam ac famam ſim derogaturus, cùm potius monumentis nonnullis priſcorum χαριέντων immortales debeantur grates. Facem nobis accenſam prætulerunt, noſtrum eſt, prælatam cum reverentia nunquam intermoritura, conſervare, eamque luculentiùs aſperſis ſubinde recentibus φαινομένων flammulis ſeræ poſteritati relinquere.

Rei ſeriem proin ab ovo exorſus diſpiciam, num optatam, ſcopo meo potiundo, ex veterum ac hodiernorum penu, lucem fœnerari potis ſim. Verùm cùm me neutiquam fugiat, hoc, de quo nunc verba facere decrevi, corporis humani πάθημα. exactiori limæ ſeſe uſque nunc ſurripuiſſe, ob difficile argumenti aſſumti pondus; me tamen facilè errati, apud prudentiores veniam impetraturum planè confido, apud illum præprimis, qui ἀποτρίβεσθαι τὰς μοχθηρὰς δόξας mihi volupe eſſe pernôrit.

Ne autem ἀτάκτως & impari greſſu ad omnimodam ægri hujus hiſtoriæ dilucidationem pedem proferamus, oportet omninò heîc τὴν σπάρτην πρὸς τὸν λίθον ἄγειν, omnem videlicet adhibere curam, ut nos uſitatis Medicorum veſtigiis inſtitiſſe, nulli non liquidò conſtet.

Igitur, ad τῶν κατὰ τὴν φύσιν διάγνωσιν quod attinet, illam primò acquirendam autumamus, ſignis in ægri temperamentum nos deducentibus auſpicatò, attendentes. Ad melancholicum autem inclinare puerum hunc, abundè & indubitato quaſi argumento evincunt judicii acumen, ac memoriæ dexteritas, utplurimùm individui melancholicæ temperiei comites: verùm medicorum etiam cordatiſſimorum non paucos hactenus valdè exercuit iſte ſcrupulus; Quî fiat quod illi tanta judicii gravitate polleant? Reperiuntur quidem ex ſplendidioribus priſcorum luminibus, qui hujus rei cauſam in ſanguinem naturâ probum, ſed utcunque craſſiorem & ſicciorem conjiciendam reputant; verùm enim verò Sphingis hujus gripho explicando necdum Oedipoda adveniſſe arbitror: Ego, tametſi

tametſi idem non ſim, nec mihi ſuffenus videar, ſic rem forſitan expediundam in animum induxi. Nimirum melancholicis, qui portionibus ſanguinis fœculentis, terreſtribus, adeoque magis tartareis & fixis ſcatent, uſuvenit, ut ſanguinea maſſa talibus compluribus infarcta, è cordiſque cavo, per venarum pulſatilium tubulos in corpus univerſum propulſa, ipſammet quoque cerebri ſubſtantiam ingrediatur, in qua ex craſſiore & magis fixo hoc ſanguine, ceu proximâ materiâ, ſpiritus animales fixiores, utpote materiei ſuæ congeneres producuntur. Hinc intellectus phantaſmatibus intentus, non poteſt non eò accuratius de illis judicium ferre, quò diutius illis contemplandis immoratur: in melancholicis autem diutius iis immoratur duplici nomine; tum quòd ſpiritus eorum phantaſmatum impreſſionem recipientes, ſint magis fixi, & ideo conſtanter intellectui phantaſma repræſentent: tum quòd ad voluptatum vanitatem ſeſe abduci vix ac ne vix quidem patiantur. Haut abſimili ratione, ſanguinem, ceu Nectar vitale, à prima mox generatione puero huic obtigiſſe magis terreſtrem & fixatum, ex attentiori actionum omnium inſpectione patefit, præcipuè aliquali nutritionis fruſtratione; ille enim corporis habitu minùs ſucculento exiſtit; deficiente etenim debita partibus humiditate, ἀνασάρκωσις familiari, carnoſæ partes leviter inareſcere neceſſum habent. Cerebro quoque una cum ſpiritibus animalibus ſicciore gaudentibus temperamento, memoriæ conſtantia natalia ſua debet & ortum; etenim veſtigia, quæ ab objectis ſenſuum externorum, cerebri fribillis, ſpiritu intentis, imprimuntur, impreſſa diutius retinentur, undè ità temperato, memoria & judicium, cuncta ad rationis incudem revocans, tantopere conveniunt. Minùs vividus autem, quàm pro ratione ætatis, videtur, eò quòd ob diutinam ad unum objectum intentionem, ſpiritibus ad cerebrum avocatis, actiones reliquę propemodum ſepultæ jaceant, vitalitate ætati aliâs congeneri, tunc torpidiùs ſeſe exerente. Fuſco tandem capillorum & reliqui corporis colore, ſæpius jam commemorata humorum κρᾶσις indigitatur; materia tartarea, nigra, cutis circuitum obſidente, piloſque ſibi concolores reddente.

Diſcuſsâ jam naturali corporis συζυγίᾳ reliquum conſultationis iter planiùs decurrere ſatiùs erit. In ejus autem partes vocanda venit τῆς τῶν περὶ φύσιν διαγνώσεως, προγνώσεως, καὶ θεραπείας conſideratio. Primum ſolers *partis affectæ*, *affectus ipſius*, *cauſarumque* examen enodatum ſiſtet. Secundum *prædictioni morbi eventûs*, *diuturnitatis*, & ſimilium abſolvetur. Tertium dextra methodus dogmaticis *ratione & longo rerum uſu* comprobata patefaciet.

Quod ad *partem affectum* attinet, aliis licet omne id, quod colli ambitu comprehenſum eſt, glanduloſum, pro ſcrofularum ſubjecto venditantibus, glandulaſque conglomeratas, perinde ac conglobatas affectui huic ſubjicientibus, nîl tamen vetat, quò minùs ratione & experientia edocti, glandulas conglobatas, ſubſtantiæ ſuæ teneritate & mollitie, humorum affluxum præ aliis faciliùs admittentes, ſcrofuloſis inſultibus utplurimùm opportunas eſſe ſtatuamus, haſque penè ſolas in affectibus malignis, ipſaque peſte tentari, illæſis conglomeratis, clariſſimorum Practicorum fides luculenter nobis pandit: conſimiliter in præſenti ſubjecto, priores ſalvas, poſteriores verò, ſeu conglobatas, thyroidæarum nomine venientes, circa inferiorem laryngis περιφέρειαν, cartilaginum thyroidis, cricoidis, primorumque aliquot annulorum arteriæ trachææ lateribus inſtratas, affectas eſſe, mihi extra dubitationis aleam poſitum eſt. Cum enim ſitus & actio læſa de parte affecta teſtentur, tumorem duriuſculum utrinque ſcutiformem cartilaginem infeſtantem, glandulas thyroidæas affectas demonſtrare, à nemine, niſi in arte anatomica hoſpite controvertetur. Quin & pueri hujus conſuetum reſpirationis vocisque tenorem depravatum deprehendenti, certo mihi argumento eſt, glandulas has tumore ſuo præternaturali laryngem comprimendo, partium ad vocis modulamen comparatarum naturalem immutaſſe conſtitutionem. Malum autem non in vicinis partibus profundas radices egiſſe, ſed penè in ſuperficie nidulari, ex aliquali tumoris mobilitate eluceſcit.

Affectum ipſum ſcirrhum eſſe, qui quatenus glandulam obſidet, ſcrofula, aliis ſtruma dici conſuevit, ex ſignis eſſentialiter inhærentibus cernimus, ex tumore inquam, doloris experte, ac ex duritie.

Ut autem *cauſæ affectum hunc* generantes, magis in apricum proferantur, operæ pretium eſt, actionem harum glandularum paucis attingere. Eſt autem vel privata, vel publica: privata quidem actione ſanguinem pituitoſum in ſuam ſubſtantiam convertunt; publica verò acidos tartareos humores in liene jam attenuatos unà cum aquoſo latice ex arteriis recipiunt, eoſque tum inſitâ temperie, tum mediantibus ſpiritibus animalibus per nervos copioſè affluentibus, dulcificant, ut indè lympha mitior enaſcens in conglobatis quidem per vaſa lymphatica, in conglomeratis vero per peculiares ductus excretorios in convenientes uſus amandetur. His poſitis ſtatuo ſcrofulas duobus modis generari poſſe: vel cùm excrementitii humores alimentari pituitæ commixti unà cum ea in glandularum nutritionem abſumuntur: vel cum extra nutritionem excrementitii humores in glandulis colliguntur. Tumorem hunc non priore modo generatum eſſe profiteor, eò enim me deducit ejus acretio ἀθρόως οὐκ ἀκροθιγῶς facta; nam quæ per modum nutritionis increſcunt, ſenſim augmentum capiunt. Ad probabiliorem ergò cauſarum ſeriem deflexuris veriſimiliùs fit, ſtrumam hanc ab humore viſcido, craſſo, pituitoſo, qui *cauſæ continentis vulgò dictæ* rationem habet, ſcaturiginem ſuam ducere, hac ratione. Humoribus hiſce pituitoſis unà cum ſero copioſo acido ad glandulas colli infirmiores delatis, calore earum inſito, eoque per nervos à ſpiritibus animalibus affluente, ad acidum & fixum in ſero probè corrigendum, volatiliſandum, & dulciùs reddendum imparibus exiſtentibus, id quod in ſanguine minùs ſpirituoſum, craſſum & caſeoſum eſt, à nimio ſale acido in ſero exiſtente, præcipitatur, inque poris glandularum infixum hæret: hinc alio atque alio ſemper ſuccedente, & denegato ei tranſitu per poros glandularum proportionatos, caſeoſam ſubſtantiam in poris remanere, eoſque obſtruere neceſſe eſt; ſicque glandulæ conſuetos magnitudinis cancellos excedendo ſcirrhum acquiſiverunt. Eſſe autem tumorem à pituita ortum, conſtat ex eo, quòd reliquæ cuti ſit concolor, cùm qui ex melancholia natus, nigrior deprehendatur. Idem color albus, junctim cum doloris abſentia, omni malignitate carere indicio eſt, ſcrofulæ enim malignæ, ex aduſto humore progenitæ, nigricantes ſunt, & ob acrem fer-

vidum-

vidumque humorem dolorè excruciant. An autem peculiari membrana circumſeptus ſit? mihi non adeò uſque certum eſt: quia tamen membrana ſcrofulis propria, ſenſim ſuccreſcere ſolet, ex membrana glandulæ ipſius, quatenus eâ ruptâ aut exesâ, nutrimentum tranſudans, in aliam membranam p.n. tranſit, videtur hic humor excrementitius, nullam ſibi propriam efformâſſe tunicam, cùm citò accreverit. *Cauſam autem antecedentem* mox explanandam, penitius introſpiciendo, firmum ratumque fiet, *proximam ſuperiùs dictam cauſam* ab hac originem traxiſſe, *affectumque hunc κτ̀ ῥευματισμὸν per fluxionem* concitatum fuiſſe, quæ quatuor ſuæ conſiderationi involvit: *terminum à quo; ad quem; mobile ſeu humorem ipſum; cauſam ipſam antecedentem referens; & vias denique per quas. Terminus à quo*, mihi eſt cerebrum, & naturalis viſcerum œconomia. *A cerebro quidem*, fluxiones internæ & externæ fiunt. Internæ: primò in oculos ſecundum ductum nervi motorii & optici: ſecundò in aures; videmus enim ſæpè in infantibus cerebrum aliquot menſium ſpatio ſaniem per aures excernere, quod jam intra duram & piam matrem colligi, indè ſecundum ductum nervi acuſtici in auris civitates internas effundi, & tandem per tympanum tranſudare ſtatuo; tympanum enim non rumpi indè evincitur, quod pueruli hi ſurditatem non contrahunt: tertiò in nares, ex ventriculis anterioribus per proceſſum mammillarem cavum, & indè per duram matrem oſſi cribriformi ſubtenſam, quam poris perviam eſſe teſtantur ſetę procinæ tranſmiſſæ. Sed & ex oculis humor excrementitius in glandulam lachrymalem imbibi & in nares deſtillare poteſt: quartò, in palatum, fauces, pectus & ventriculum; partim per ductus naſales, qui in palatum derivantur; partim immediatè ex baſi cerebri ſecundum ductum nervorum, venarum & arteriarum, atque hac ratione in apoplecticis apophlegmatiſmis pituita elicitur. Externæ fluxiones fiunt; cùm humor excrementitius ſecundum ductum muſculorum & nervorum, in cervicem, humeros, dorſum, exteriores colli glandulas defluit. Quia & tenuem humorem per ipſam nervi ſubſtantiam, ſed præternaturaliter in glandulas derivari, atque in iiſdem ſcirrhoſos tumores parere poteſt: quanquam enim humor hic dum nervorum ſubſtantiam penetrat tenuis eſt, reſolutis tamen partibus

bus tenuioribus in glandulis exiſtens craſſeſcit: ſic ſi ſerum tenue coxeris, tandem in fundo caſeoſa ſubſtantia remanebit: in præſenti ſubjecto ſi fluxio à cerebro contigerit, eam potiùs ſecundum latera nervi recurrentis, quàm per ipſam ejus ſubſtantiam factam fuiſſe arbitror; vix enim ſine læſo motu muſculorum, in quos hic nervus inſeritur, hoc fieri potuiſſet; at nullius muſculi motum eſſe læſum ex hiſtoria patet. *A naturali viſcerum œconomia*, liene præprimis, qui imbecillitate caloris inſiti, & fermento minùs volatili, cibos aſſumtos non decenter corrigit & volatiliſat, atque proin tartareorum acidorum humorum maximè ferax exiſtit. Addo ventriculi calorem debilem, alimenta inſufficienter concoquentem, ſed potius indigeſta crudaque relinquentem; hinc vitium concoctionis primæ non emendatur in ſecunda, imprimis cùm ſecundæ coctionis viſcera pari caloris inopiâ laborent, ea crudiora & viſcoſiora remanere neceſſe eſt. Unde humoribus crudis & acidis ad glandulas thyroidæas, affluentis materiæ morbificæ vim ob ſubſtantiæ raritatem & mollitiem non eludere valentes, delatis, quæ ſuprà dixi accidunt: *Via autem per quam ῥεῦμα* contingit, mihi arteriarum nomine capitur, utpote quæ copioſiores in illas ſunt inſertæ: per lymphatica enim vaſa & venas potiùs fit reductio verſus centrum, quàm eductio ad ſuperficiem: neque per nervos, quos liquorem quempiam advehere adhuc dum inficias eo. Ut autem vocis vitiatæ clarior evadat ratio, ſciendum, utriuſque glandulæ p.n. affectionem, in partem vicinam, reſpirationis & vocis organum redundaſſe; quale habetur aſpera arteria cum larynge, ex ſubſtantia cartilaginea, ob ſui ſiccitatem ad faciliorem vocis intenſionem conflata; lymphæ materia itaque circa illam uberiùs congeſta (eò quòd tranſitum naturalem per poros glandularum obſtructos non reperiens, ſtagnat) ſiccitatem ejus humiditate ſua invertendo, atque ſuperficiei inæqualitatem inferendo qualemcunque inducit raucedinem, ità ut difficiliùs & ſibilando reſpiret, ſuaviorque vocis modulatio præpediatur. Accedit & altera cauſa ſc. anguſtia à compreſſione, de quâ in præcedentibus mentio facta fuit. Unanime autem ſuffragium antea dictis adjicere videntur, naturalis ægri temperies nobis ad melancholicum vergere viſa, ſeri ſimul

& tartari copiam, præ aliis, uberiorem ferens; nec non & ætas puerilis, quâ calor ob humidi exuperantiam minùs fortiter ſeſe exerere potis eſt, atque proinde faciliùs pituitoſæ & indigeſtæ colluviei, proventum parit. His adſtipulatur pulſus juſto debilior & minor, cordis calore humorum frigidorum copiâ utcunque oppreſſo, ſpiritibusque illi inſitis minùs vegetis, ſanguis ad corporis ambitum languidiùs propellitur: urina alba cum craſſiori ὑποστάσει, ob coctionis & ſequeſtrationis crudorum excrementorum viſcerum debilitate genitorum infirmitatem, ob quam urinis promiſcuè communicatur.

Internarum deniq; cauſarum ſatellitium comitatæ ſunt ſequentes *externæ. Aër tempuſq; anni autumnale*, inæquali ſua facie nunc frigiditatis nunc humiditatis autores fuerunt; conſtat enim flante tunc temporis Boreâ poros cutis per æſtatem ad ἄδηλον διαπνοὴν promovendam apertos conſtringi, ita ut excrementorum aliâs exterminandorum camarina per παλινδρομὴν in corporis interioribus retineatur. *Cibus & potus* in producendo deformi hoc malo, propemodum α & ω tenuêre, quem enim, amabo, fugit, apicios, gulæque imperare neſcios pueros morborum myriades incurrere? citra delectum veſcebatur noſter omnis generis fructibus maturitatem nondum adeptis, cruditatibus proin cumulandis anſam quàm maximè porrigentibus. Et cùm ob immaturitatem copioſo ſale acido abundent, acidum in ventriculo & liene, melancholicis aliâs familiare adauctum fuit. Cruda crudis ſuperingeſſiſſe proporrò elucet ex aquæ frigidæ potu, cui adeò indulſit, ut ſeroſis & pituitoſis humoribus accreſcentibus ſtruma generationis ſuæ ſurculos projicere valuerit; aquam, ſero ut & pituitæ plurimùm aquæ continentibus incrementum dare apud omnes in confeſſo eſt: qualis enim corpori victus, talis & humorum ratio obtingit. *Ad motum* referendus eſt cantus, quo cùm larynx & vicinæ partes nimis exercitæ fuerint, humorum potiùs, ad has, quàm alias glandulas ἀπόσκημμα ſeu decubitus accidit. Tandem ſuum quoque ſymbolum contulêre *animi pathemata*, quæ inter triſtitiam foviſſe perſpeximus, minùs enim quàm ætas fert, vividum ſe exhibet, eò quòd humores

ſta-

ſtadium ſuum circulare tardiùs emetiti, curſu incraſſari, caloremque obtundere ſatagant. Pertinet & huc attenta cogitatio, de qua ſuprà, quâ ſpiritus animales in cerebro retenti, minùs ad glandulas fluunt, minuſque dulcificant. Verum de *diagnoſi* plus ſatis.

In ponenda hujus morbi *prognoſi* nobis prævenit ὁ θεῖος noſter *Cous libr.* περὶ ἀδένων, ſtrumas inter peſſimos colli morbos referens; hoc tamen vaticinium non ἁπλῶς accipiendum, præſertim, ſi cum ſubjecto præſenti conferatur; certum enim eſt, ſtrumas incipientes jam dudum confirmatis ac inveteratis, curationem faciliùs admittere, idque in puerili potiſſimùm corpore, quod, quemadmodum ſecundum eundem Medicorum facilè principem, ad ſtrumas proclive eſt, *uti habet ſect. 3. aph.* 26. ſic minori cum difficultate, quàm ſenum, ſanitati redditur. Ægro attamen immorigero exiſtente, aut Medico imprudentiori, temporis decurſu imminere poſſent peiora, qualia ſunt exulceratio aut malignitas, tandem cancer & gangræna; nam chirurgi imperitâ manu, aut medicamentis merè reſolventibus, ægro laceſſito, idem quod illi apud Galenum *lib. 1.* de locis affectis *cap.* 6. evenit, qui ob nervum præciſum ἄφωνος factus eſt, obtingere poſſet; aut malignitas planè ſerpere, cœteras quoque collo circumdatas glandulas cuniculos agendo inficiens, donec tandem μετάστασις materiei peioris notæ in partem contingeret nobilem, ægro jugulum certò certiùs petitura; quale triſte exemplum haut ita pridem in Adoleſcente Baſileenſi, 16. annos nato, ab Excellentiſſimo Clariſſimo Viro Domino Joh. Henrico Glaſero, Præceptore & Evergeta, ſummâ ſemper obſervantiâ colendo, diſſecto, cernere nobis licuit: faciliùs autem mali radicem evellemus, eò quòd cauſa proxima non eſt ipſa partis ſubſtantia per nutritionem aucta, ſed humor pituitoſus excrementitius; qua propter ambigendum non eſt, quin therapia, quæ adhuc enucleanda reſtat, cum dexteritate in uſum adducta, omnem amotura ſit mali fomitem ac deformitatem.

Vix autem felicioribus auſpiciis tricas ſenteſque obvios ἰάσεως ratione declinabimus, quàm incedendo per *Indicationes*, certos fideleſque ad præſidiorum materiam manuductores

res, quibus probè imbutus, à vera medendi planitie nunquam deviabit. Quas inter primùm ſeſe offert *curatoria*, quam incidentibus, attenuantibus & emollientibus *cauſam continentem* auferendo obtinebimus: præſtando enim hæc & obſtructionem & tumorem p. n. inſimul evanidum deprehendemus, non neglectâ interea glandularum in collo intemperie utcunque frigidiori, calefacientibus in contrarium alterandâ. Sequitur dein *præſervatoria*, quæ *cauſam antecedentem & externas* amoliendas præcipit, hæc autem haut meliori præſidio perficiemus, quàm humoribus craſſis frigidis opponendo moderatè calefacientia, digerentia, incidentia & attenuantia, moderatè inquam, ne reſolutis partibus tenuioribus, craſſiores relictæ cauſam pertinaciorem reddant: ipſe verò humor pituitoſus taliter præparatus convenientibus phlegmagogis eliminandus, nec non tartarei acidi humores, ſulphureis volatilibus, aut iis quæ acida imbibunt, corrigendi: quatenus vero iidem motu peccant, revellendi ſunt. *Diætâ* denique ſeriò obſervatâ, cuncta, quæ novum malo aditum aut reditum parare poſſent, externa proſcribenda putamus. Tandem *vitalis*, virium integritatem, per confortantia deſiderat, maximè autem ventriculus & viſcera ſanguificationi deſtinata, roboranda ſunt, ne in poſterum dicti humores vitioſi colligantur, tum & ea de cauſa in uſum vocanda, viribus durante medicatione fortè ſui ruinam minitantibus.

Hiſce igitur omnibus oppugnandis arma depromenda veniunt, ex uſitato *triplici fonte*, *Chirurgico*, *Pharmaceutico & Diætetico*.

Chirurgicus, ante omnia V. S. nobis ob oculos ſiſtit, quæ revulſionis & derivationis ergò celebrari poſſe videtur, in cubito dextro primùm ad revellendum, dein & in venis raninis ſub lingua ad derivandum. Verùm cùm ætas refragetur, viſcerum & ventriculi calor jam debilis, hoc præſidii genere magis debilitetur, ſicque dein major crudorum & acidorum humorum copia ſuccederet, à V.S. abſtinendum puto. Si affectus contumacior eſſet, potiùs præmiſſis univerſalibus, ad cauterium confugerem, nuchæ aut alterutri humero inurendum: vel ſi magis arridet, ſectione cutis fonticulus excitari poteſt, ſic enim in puero, copioſiori ſero, quod plerumque eli-

eliciunt, ſcatente, apprimè proficuum: veſicatoriis pone aures applicatis ſuum quoque exſtare videtur encomium, è veſtigio enim operantur, humoremque peccantem trahunt ac quatuor aut quinque dierum ſpatio exiccantur: quale ſequens eſſe poteſt.

℞. *Fermenti acris* ℥iij.
ſem. ſinapi ℈j.
Cantarid. trit. ʒj.
aceti q.ſ. f. veſicat. in modum cataplaſm.

Veſicæ apertæ folium betæ aut braſſicæ butyro inunctum imponatur. Quoad χειρουργίαν, eam hic ceu periculi plenam non niſi ſummâ urgente neceſſitate in uſum vocamus, utpote ex anatomia gnari, glandulas thyroidæas pluribus arteriis perfuſas & implicitas eſſe, vulneratаſque ſanguinis ſuppreſſionem ægrè ac vix pati; præterea nervus ab incautis facilè læditur. Si tamen malignitas ſuperveniret, ne in vicina ſerpat, hic tumor cum mobilis ſit, & in ſuperficie poſitus, à perito artifice exſtirpari poſſet.

Pharmaceuticus præ omnibus *eccoproticum ſeu leniter purgans* præmittendum præcipit, v.g.

℞. *crem. tartar.* ℈ß.
pulpæ caſſ. ℥ß.
ſacch. q.ſ. f. bol. leniens.

Aut ſi averſetur bolum diſſolvatur *caſſia* in aqua betonicæ, aut ejus loco exhibeatur *ſyrupus roſarum ſolutivus.* vel ſubinde alvus pigrior ſolvatur *mann. ad* ℥j. *vel* ℥jß. in juſculo exhibita, aut *paſſ. laxativ.* prun. aliiſque. *Lenientia* excipiant humores *præparantia*, quibus in reſolvendis ſcrofulis peculiariter comperta immiſceantur: nam nunquam ferè à ſcopo aberrabunt, qui *præparando & evacuando*, univerſi corporis munditiem & nitorem reſpiciunt, priuſquam *particularibus evacuationibus*, nec non *topicis* inſiſtant: peccantes autem humores formula ſubſequens propinata præparabit: ut

℞. *aq. cochlear.*
fumar. ã ℥iij.
Syr. de 5. rad. aper. ℥ij.

M. f. *Julep.* pro 4. doſibus, mane ac veſperi exhibendus, ac reiterandus, prout humores in corpore ſeſe refractarios

 præ-

præſtiterint: vel ſi magis arrideat inſeq. decoct, vere imprimis & autumno conveniens ſtrumoſis.

℞. *raſuræ ligni ſancti, ſaſſafras, rad. chinæ*
rad. iridis, chelidonij minor. ſpat. fœtid. ſcrof. ā ʒjß.
rad. pyrethr. aſar. ā ʒj.
herbar. ſcrof. meliſſ. beton. aſplen. artemiſ. ā Mj.
Flor. thym. geniſtæ, lavand. ā pjß.
baccar. junip. ℥ß.
ſem. calend. major. ʒvj.
paſſ. major. ℥j.

F. *decoctio* in vini albi & aq. font. ā. ℔jß. ad tertiæ partis conſumtionem, & in colat. diſſolve oxymell. ſcyllitic. ℥iiij. de qua ebibat æger manè ac veſperi ante cœnam ℥ij. Sunt qui inter alia admodum extollunt diaphoreticorum uſum, qualia ſunt *ſal viperæ, ſerpentum, antimonium diaphoreticum, pulvis lacertarum in aceto maceratarum*: ego, non omninò diſſuadeo, ſed cautè ne corpus nimiùm exiccetur. His tandem ad ſufficientem præparationem præmiſſis, ſequens *purgans* offerendum eſt.

℞. *Fol. ſen. el.* ʒjß.
agar. albiſſ.
turbith. gummoſ. ā ℈j.
crem. tartar.
ſem. aniſi ā ℈j.
aq. ſcrof.
chelidon. minor. ā ℥ijß.

Stent in infuſione per noctem, manè bulliant leniter, colaturæ adde ſyr. fumariæ ℥ß. M. f. potio purgans. Qua ob frequentiorem uſum palato tandem adverſante, ejus vices adimplebit hic *pulvis*.

℞. *turbit albi & gummoſi* ʒß.
Zinziberis ℈ß.
ſacchari ʒj.

f. pulvis. ſumat in aq. chelidonii majoris.

Aut, ſi velit, iſtud *vinum medicatum, & præparans & purgans* ſimul, hodie ex ratione & experientia perquam ſalutiferum, præſertim adultioribus & aſſuetis, ſi verò puero huic præſcribendum, aqua prævalere debet.

℞. *rad.*

℞. *rad. filipend. ſcrof. gladiol. ruſci* ā ʒjß.
cort. tamariſci ʒj.
fol. meliſſæ, lamii purpur. ā mj.
ſen. mund. ʒx.
agar. recenter trochiſc. ʒij.
cremor tartar. ʒj.
cinamom. ʒij.

decenter conciſa infundantur in vini albi vet. ℥viij. & aq. ℥xvj. de quo alternis diebus exhauriat circiter ℥iij. aut iiij. Quercetanus diæt. polyhiſt. cap. 1. ſpecificum ſeq. nobis proponit.

℞. *Spongiam marinam, vel ex paliuris natam.*

Redige eam in cinerem, inque lagenam vini albi macerandam reponito. De eo à plenilunio uſque ad novilunium ℥iij. propinato, ut ſic ſenſim tumor ille contabeſcat, abſumaturque.

Quibus abſumtis, & corpore ex ritu repurgato, liberum erit devenire ad ea, quæ ulteriùs ſpecifica vi ſcrofulas digerendo & emolliendo, aut acidum humorem corrigendo, abſumere atque diſſipare perhibentur. Hoc autem adhortationem cautionemque meretur, ne quis ob unicam ſtrumam, præparationibus & evacuationibus, nimium inhæreat, inſiſtatque, neglectis interea illi appropriatis, ſatiùs enim eſt, univerſalia neceſſitate non adeo uſque urgente, quovis ſemeſtri, ut innui, humoribus maximam partem ad ignobiliores corporis partes tunc fluitantibus, propinare; intermedio autem tempore, ſingularia amplecti, partem affectam, cauſamque conjunctam ipſam, ferientia & emendantia præſidia. Unde tale adminiſtrari poterit.

℞. *pilar. marinar. toſtar. n. xxx.*
Z. Z.
ſpong. uſtar.
pip. nigr.
long.
galar.
oſſ. ſepiæ
cinamom.
Pyretr.
lap. ſpong. ā ℥j.

ſem.

ſem. plantag. ℥ß.

M. f. *pulvis ad ſcrof.* Kropfpulfer.

vel ℞. pulveris modò præſcribt ℥j. adde mediam partem rad. ſcrof. puta ℥ß. M. f. *pulvis.* Utatur utro libuerit bis in die, manè ſcil, jejuno ſtomacho, & veſperi aliquot horis ante cœnam, eoque, quantum cultri cuſpis capere poteſt. Fructum pulveris conduplicatum hauriet eum aliquot diebus ante Novilunium, in ultima Lunæ decreſcentis quadratura aſſumturus. Nam

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt;
Et data non apto tempore multa nocent.

Verùm tumori duriuſculo apparenti, ad emolliendum forinſecus ſequentia admoveantur. ℞. butyri, reſin. coloph. ceræ candidæ non vetuſtæ, ana partes æquales. M. & imponantur ſtrumæ. Paulus cap. 23. libr. 4. ad reſolvendum ſumit farinam lupinorum, oxymelite decoctam: item rad. althææ cum adipe gallinaceo miſcet, quod pharmacum non rejiciendum autumo. Ex topicis aliis ſpecificum commendat Adamus Lonizerus libr. 2. cap. 8. hunc in modum.

℞. *Sempervivi, ſevi ovini, & ſalis comm. p. æ.*

conquaſſentur & imponantur ſtrumæ incipienti; eodem ægrum noſtrum utentem, ſpe ſua minimè fruſtratum iri confido. Inunctionem mercurialem ad ptyaliſmum concitandum fortè in adultioribus ſalutarem, mali pertinacia id exigente, impræſens intermittere præſtat. Suppurare autem hic ſupervacaneum, imò maximè nocivum cenſeo; facillimus enim ſtrumæ laceſſitæ in cancrum eſt tranſitus. Etſi ulla ratione cancroſa fieret, optimè conduceret *amalgana* ♄ ejus fervorem doloremque mitigando. Quod ſi autem vergente ætate & tempore ad ſuppurationem ſponte tenderet, ea adjuvanda eſſet iis auxiliis, quibus plurium Practicorum codices ingenti faſtu turgent, quæ proin, ut & reliquas penè infinitas formulas ſtrumis depellendis conſecratas & appropriatas in præſentes chartarum anguſtias combinare ſuperſedeo.

Pueri tandem viſceribus in concoquendis alimentis ſegniùs ſe præbentibus proſpicerem confortantibus per Electuar. rotul. placet, nunc Elect.

℞. *Con-*

℞. *Conſerv. flor. bugloſſ.*
roſar. rubr.
major ana ℥ j.
Zingiberis conditi.
cortic. citr. condit. ā ℥ ß.
ſpecier. aromatici roſati ʒ ij.
ſyrup. de betonic. q. ſ. F. Electuarium.

Supereſt *vitæ regimen*, brevibus perſtringendum: aërem hauriat ægrotus ſerenum, calidum, cane pejus & angue fugiat, frigidum, craſſum & humidum, ſit videlicet in humiditate & ſiccitate moderatus, evitet ob ambulationes, ſub Luna, uberrima fluxionum matre. Rationem victus gerat mediocrem, cibi ſubinde aromatis conſpergantur, ſintque εὔπεπτοι, εὔχυμοι, καὶ εὐκοίλιοι. Ultra Sauromatas proſcribat quoſcunque fructus horarios, omniaque aciditate multa prægnantia. In potu quàm ſtudiosè ceſſet bibere aquam crudam fontanam ſimplicem, præſertim hyberno tempore, ejus vices ſupplebit decoctum chinæ, rad. glycyrrhizæ, ſem. aniſi. Somnus nocturnus 7. aut. 8. horas non excedat, tot enim dormiiſſe ſat eſt, diurnus, iſque meridianus penitus abſit: in motu & quiete mediocritatem colat; excretorum parem teneat obſervantiam, alvus continuò ſit libera. Cœterùm æmulando ſectetur lætos, hilares, muſicam vocalem nimiam, utpote fluxionibus occaſionem partium exercitatione præbentem intermittat, inſtrumentali potiùs aſſuefiat. Tandem ætatem ità degat, ac ſi temperantiæ filius eſſet & audiret.

Omni autem curâ methodicâ certum volente ordinem, eum per compendium ſubnecto: *Eccoprotico* igitur præmiſſo, humorum noxiorum ſentinam, *julepis* aut *decoctis*, præparatam, *purgantibus dictis*, eluerem, poſtmodum me ad *pulveres & topica*, ſtrumam ipſam eradicantia conferrem: non neglecto interea aliquo *veſicatorio* juxta aures admoto: fluxione autem temporis progreſſu continuatâ in auxilium vocarem *ſetaceum, vel fonticulum*, *Diætâ* ſemper, ut decet, ſervatâ.

Pertractatis igitur omnibus pertractandis diſſertationis filum rumpo; reliquis ſtrumoſis artificialem hanc à Dei bonitate & Archiatro ſupremo, Medicis conceſſam curandi methodum reſpuentibus, ac credulitatem & ſuperſtitionem ma-

gis venerantibus, ad Galliæ & Angliæ Reges, qui nudo contactu ſtrumis mederi perhibentur, per me via erit plana. Καὶ περὶ τούτων μὲν ἅλις.

ΠΑΡΕΡΓΑ.

1. *Seminis muliebris fœcunditatem vel ſola exactior ovarii gallinarum comtemplatio evincit.*

2. *Gallina, nihil omninò conferente gallo, ovum parere apta nata eſt.*

3. *Virgo molam enitens de læſa virginitate accuſari nequit: citra uſum venereum enim illa generari poteſt.*

4. *Sanguis menſtruus in ſequiori ſexu non ſolum excernitur, quia quantitate peccat, ſed & quia fermentatur.*

5. *Ventriculo, cordi, lieni, renibus, teſtibus, fermentum ineſſe ajo.*

6. *Fœtus* ἐν γαστρὶ *primariò exitum quærit, ob aeris liberioris defectum; ſecundariò autem ob alimenti penuriam, ac uteri anguſtiam.*

7. *Mulier eſt animal viviparum & oviparum.*

8. *Sudor fœtûs, qui in amnio exiſtere creditur, figmentum eſt.*

9. *Partes corporis humani omnes ex ſemine formantur, & partim ſanguine, partim chylo nutriuntur.*

10. *Partes in nutritionis actione non merè paſſivè ſeſe habent, ſed cooperantur.*

11. *Præcipuus pulmonum uſus eſt, aerem ad caloris nativi in corde conſervationem excipere, & fuligines expellere; ſecundarius per inſpirationem & exſpirationem ſanguinis motum ciere, tueri & conſervare.*

12. *Pulmones ante & poſt partum ſanguine calidiore* *ſubti-*

ſubtiliore nutriri, arteria bronchialis, aortæ tradux teſtatur.

13. *Chyli partes ſubtiliores per venas meſaraicas, craſſios per ductus thoracicos rapi, probabiliter ſuſtineo.*

14. *Clyſmata nutritiva, viâ aliâ alendi denegatâ, maximè cum ægri ſalute ſunt in uſum vocanda.*

15. *Nulla reperitur inter arterias & venas vera* ἀναςόμωσις *in corpore humano.*

16. *Etſi accuratè loquendo non detur vera in corpore humano attractio, nil tamen vetat, quò minùs res per eam cum veteribus explicemus, ſive enim per pulſionem fiant. ſive per attractionem, res ipſa eôdem recidit.*

17. *Qui facultates ſtatuunt, non mera nomina obtrudunt, dextrè enim expoſitæ facilè admitti poſſunt.*

18. *Rationem, quare lac generetur in gravidis, non autem in non gravidis reddo probabilem; videlicet ob mirabilem uteri cum mammis ſympathiam, per quam impraegnationis tempore certæ particulæ ſanguinis in utero fermentativæ ac ſpirituoſæ evehuntur, mammarum poros dilatantes, iisq; diſpoſitionem ad lactis generationem neceſſariam conciliantes.*

19. *Sunt qui cerebrum frigidum ſtatuunt, ego ex parte calidum dixerim, materiæ enim calidiſſimæ & ſubtiliſſimæ officina eſt.*

20. *Aer, ſpiritus animalis materia, cerebrum ingreditur, per oſſis cribriformis, aliâs mucum tranſcolantis, & duræ meningis foramina.*

21. *Doctrina de circulari ſanguinis motu medendi methodum non evertit, ſed illuſtrat.*

22. *Non omnes morbi interni, ſanguini originem debent.*

23. *Non omnis hydrops ab atonia ſumma viſcerum ſcaturiginem ducit.*

24. *Bilis flava non ſolum in hepate generatur, ſed & in*

 reli-

reliquis viſceribus genita, ex vaſis ſanguiferis ad illud confluit.

25. *Admodum hallucinantur, ex* οὐροσκοπίᾳ *ſexum cognoſci poſſe autumantes.*

26. Οὐρόκρισις *in multis morbis internis, ſed non in omnibus eſt neceſſaria.*

27. Σφυγμολογίαν *quilibet Medicus ſibi familiaeem habeat neceſſe eſt, morbos à ſanguine ortos & cordi potiſſimùm infenſos exactè dijudicaturus.*

28. Αἱμοῤῥαγίας *per pulverem ſympatheticum ſiſtendi modum non improbo.*

29. *Vinum manifeſtis qualitatibus* νάρκωσιν *parit.*

30. *De opii caliditate nullus ambigo.*

31. *Vires plantarum complurium ex ſapore, odore, etiam qualitatibus tactilibus cognoſci poſſe certum eſt.*

32. *VS. in pleuritide exquiſita à dogmatico jure celebranda, nec frivolè omittenda eſt.*

33. *Ex anili & erronea opinione nonnulli purgationem Venæſectioni præmittunt.*

34. *Lienteria propriè eſt cæliaca affectio vulgò dicta.*

35. *Glandulæ meſenterii in ſtrumoſa colli diſpoſitione non ſemper affectæ ſunt.*

36. *Struma &* βρογχοκήλη *differunt, ratione partis affectæ, illius ſunt glandulæ, hujus membranæ & muſculi; nec non ratione cauſarum.*

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ.